



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De virili confidentia in Christo. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

sonis tux. Scribe vulnera tua in corde meo; & da mihi ex desiderio sustinere improperia & iniurias vnde cumque illatas, & tibi configurari in vita & in morte. Tu mihi vivere sis, & mori pro te magnum lucrum videatur.

## CAPVT XIII.

*De meditatione passionis Christi.*

1. **M**ulta bona confert passio Christi frequenter cogitata. Et quandocumque aliquid aduersitatis vel gravitatis extra vel intra occurrit, tunc specialiter est recurrendum ad passionem Christi, & pensandum quanta Dominus sustinuit pro nobis indignis. Et in hoc debemus consolari, quia dat nobis de calice suo bibere; & vult, quod discamus, in nobis suam passionem perfectè sentire. Modicum confert, poenas Christi cogitare; nisi homo velit, similia libenter tolerare. Debemus etiam pensare, quanta passi sunt Sancti tormenta pro nomine Christi.

## CAPVT XIV.

*De virili confidentia in Christo.*

1. **I**gitur abiesto timore seruili, induere spiritum fervoris & dilectionis. Accipe fortitudinem, & induere armaturam Dei, ut possis resistere in die malo. Confide fili, & noli timere; quia tecum sum dicit Dominus, *ut eruam te.* Confortare & esto robustus, quia plures nobiscum sunt quam contra nos. Ego ( inquit *Dent. 32.* Dominus ) *ante te ibo & pugnabo pro te; eroque tecum, ad quemcumque perrexis.* Pon ergo totam spem tuam in Domino, & noli esse pusillanimis corde, sed constans & virilis ad omnia.

## CAPVT XV.

*De bono cella.*

1. **S**it tibi cella paradisus, chorus cælum, lectio sacra cibus. Sit tibi silentium amicus, labor socius, oratio auxiliarius. In choro sis stabilis & quietus, tibi & Deo maximè intentus. In cella aut legens, aut orans, aut operans inueniaris. Ad loca, ubi multi conueniunt & loquuntur, non transeas. Tene te solitarium, & senties bonum. In labore & communi societate, raro aut parum loquaris. Rarè egredere foras, & si euocatus fueris, citò reuertaris. Vbi cumque esse debes, sine mora venias.

2. Humiles & compositos mores habeas, & omnes sensus tuos sub disciplina custodias. Discere pro Deo pati, in omni necessitate & gravitate. Non sis importunus, sed omnia fac cum tranquillitate. Cum patientia & humilitate, orenes vinces aduersitates. Viriliter age, & confortetur cor tuum, & fugiet inimicus.

## CAPVT